

teneri, sunt denunciandi Episcopis, vel Inquisitoribus, qui possunt, et debent illos punire pro modo culpæ. Vid. ib. n. 61.

(50. Denunciations debent fieri in scriptis cum expressione nominis, et cognominis denunciantis, et subscriptione illius, si scit scribere, et non denuncians hoc modo non potest absolvi. Unde non sufficit denunciare schedulis, aut Epistolis sine nomine, aut cognomine Auctoris, aut aliis modis incertis, de quibus nullatenus curatur in Tribunali S. Officii, ut patet ex verbis Edicti relati supra sub n. 1. Sic Genuens. In praxi cap. 18. n. 2. Lazar. de Blasphem. q. 12. n. 47. Carena l. e. n. 27. cum aliis ibi allegatis.

(51. Omittentes denunciare Hæreticum, cum possunt, et ad quod tenentur ex officio, ut sunt Notarii, socii, satellites, et similes ex officio servientes Sancto Tribunali, et testes legitime interrogati veritatem celantes, aut minuents, sunt suspecti de Hæresi, et fautores Hæreticorum, adeoque ultra Excommunicationem Edicti, incurrunt Excommunicationem Bullæ Cœnæ, et sunt denunciandi; Farinac. de Hæresi quæst. 197. n. 38. et 48. Lazar. de Blasphem. quæst. 12. n. 11. Sanctarel. de Hæresi cap. 9. n. 19. Leonard. Duard. ad bullam Cœnæ Domini lib. 2. Canon. 1. qu. 32, n. 12; Pegna ad Director. part. 2. comment. 78. vers. Postremo; Felix Potestas loc. citat. n. 286. Receptor. Inquisitor. in verb. *Fautores*, vers. *Item indicatione*; Decian. in tract. criminal. lib. 5. cap. 51. n. 25; Carena loc. cit. n. 41. et 42. et alii plures apud ipsos (52. Si autem supradicti omittant denunciare Hæreticum, non in defensionem, et favorem Hæresis, sed ob aliam causam in se honestam, v. gr. ob metum cadentem in constantem virum, ob consanguinitatem, amicitiam et hujusmodi, nec sunt suspecti de

#### DENUNCIATIONES MATRIMONII.

Vide verb. MATRIMONIUM, quoad denunciations.

#### DEPOSITIO.

Vide verb. DEGRADATIO, per totum.

#### DEPOSITUM, DEPOSITARIUS.

##### SUMMARIUM.

1. Depositum potest accipi, et pro re deposita, et pro contractu; et quid sit utrumque. — 2. Depositum ut sic dividitur in Judiciale, et Privatum; et quid sit Depositum Judiciale. — 3. Depositum Judiciale alio nomine dicitur *Sequestrum*, seu *Sequestratio*. Et hæc Sequestratio potest esse voluntaria, vel necessaria. — 4. Quæ sit utraque hæc sequestratio, ad n. 5. — 5. Assignatur aliud genus Depositi Judicialis. — 6. Depositum Privatum quid sit, et quale sit. — 7. Depositarius non potest uti re deposita sine consensu expresso, vel tacito deponentis, aliter furtum committitur: censetur. — 8. Si tamen Depositarius bona fide existimet id Domino non displicere, tunc non peccabit utendo, nec furti actione tenebitur. — 9. Depositarius debet Depositum custodire, et servare ea fide ac diligentia, qua custodit, et servat res proprias. — 10. Depositarius tenetur rem depositam restituere talem, qualem accepit, non comminutam,

Hæresi, nec ullam incurrunt Censuram: quia sicuti Censura fertur in Hæreticum propter Hæresim, ita ferri debet in fautores Hæreticorum ut talium, cum accessorium sequi debeat suum principale; cap. *Accessorium* 52. de regul. juris in 6. l. *Nihil dolo* §. *Cum principales* 129., et l. *Cum principalis* 378. ff. de *Regulis juris*. Sic Doctores citati, et alii passim.

(53. Sic etiam omittentes denunciare suspectum de Hæresi, non sunt ita suspecti in Hæresi, ut sint denunciandi, quamvis possint puniri omnibus pœnis statutis in Edictis Inquisitorum; Carena l. e. n. 46. Lupus apud Bordon. in Manual. consult. sect. 18. n. 72. qui licet dicat ibi sub dicto num. 72. tales omittentes dictam denunciationem esse suspectos de levi, tamen sub n. 73. subjungit, quod non sint denunciandi. Et ratio conclusionis est, quia, ut recte dicit Carena l. e. alias contra omnes regulas juris præsumptio oriretur ex præsumptione, et suspicio ex suspicione.

(54. Legitime impeditus, durante impedimento, non tenetur denunciare per alium, quia obligatio denunciandi est personalis. Immo si cum primus habet notitiam delicti denunciandi, adest legitimum impedimentum ad denunciandum per semetipsum, tunc durante tali legitimo impedimento, potest a quolibet simplici Confessario absolvi cum firma promissione denunciandi, impedimento cessante. Tunc enim non habetur reservatio, nec delictum non denunciando, cum ad impossibilia nemo obligetur; cap. *Nemo potest* 6. de *Regulis juris* in 6. leg. *Impossibilitium* 185. ff. de *Regulis juris*.

(55. Alia ad rem. Vide verb. HÆRETICUS, verb. LIBRI PROHIBITI, verb. SIGILLUM sacramentalis confessionis, verb. CONFESSARIUS quoad sollicitationem, verb. SUPERSTITIO.

etc. — 12. Depositarius tenetur de dolo, et culpa lata. — 13. Et adeo tenetur de dolo, ut neque valeat pactum de dolo non præstando. — 14. Hoc tamen intelligi debet solum de remissione doli futuri, non vero de remissione doli præteriti. — 15. Depositarius non tenetur de culpa levi, et levissima. — 16. Excipiuntur tamen plures casus, in quibus Depositarius tenetur etiam de culpa levi. Primo scilicet, quando expresse convenit, ut etiam culpa levis præstentur. — 17. Secundo, Depositarius tenetur etiam de culpa levi, si seipsum ad recipiendum Depositum obtulit. — 18. Tertio, Depositarius tenetur etiam de culpa levi, si mercedem pro custodia recepit. — 19. Quarto, Depositarius tenetur etiam de culpa levi quando requisitus ut Depositum redderet, est in mora reddendi. — 20. Depositarius non obligatur ad præstandum casum fortuitum, exceptis tribus casibus, si videlicet pactum culpa, et mora culpabilis præcessit casum fortuitum. — 21. Depositor potest statim quando-cumque voluerit Depositum revocare, et Deposita

rius tenetur statim rem depositam restituere. — 22. Immo depositor potest restitutionem Depositi sui reposcere etiam antequam sit elapsum tempus, pro quo res deposita fuit. — 23. Dantur tamen plures casus, in quibus Depositarius rem Depositam restituere statim non tenetur, sed restitutionem differre potest, vel etiam debet. Primo scilicet, res deposita non est statim restituenda Depositori illam repenti, quando aliquid de novo emergit restitutionem impediens. — 24. Secundo, si ex restitutione certe, vel probabiliter timetur secuturum damnum spirituale, vel temporale ipsi Depositori, vel alicui alteri. — 25. Tertio, quando bona Depositoris ob aliquod crimen sunt confiscata. — 26. Quarto, quando Dominus, et fur, qui rem furto ablatam apud aliquem deposuit, concurrunt in illa repetenda. — 27. Si tamen, domino non comparente, solus fur rem furtivam depositam repetat, tunc est ei restituenda. — 28. Quinto, quando fur rem furatam deposuit apud Dominum ejus ignorantem pro tunc rem esse suam, non tenetur Dominus eam furi repenti restituere. — 29. Depositarius non potest retinere rem depositam pro compensatione alicujus crediti erga Depositorum. — 30. Ex deposito facto penes Clericum v. g. Canonicum, aut Religiosum, seu Rectorem Ecclesie, vel Monasterii non potest obligari Ecclesia, vel Monasterium. — 31. Teneretur tamen, si res illa deposita fuerit conversa in utilitatem ipsius Ecclesie, vel

(1. Depositum potest accipi et pro re deposita, et pro contractu. Depositum sumptum pro re deposita definitur sic: *Depositum est, quod custodiendum alicui datum est*; leg. 1. ff. *Depositum*. Depositum sumptum pro contractu, sic definitur: *Est contractus, quo aliquid alicui custodiendum traditur, sine mercede, ut integrum restituatur*; colligitur ex cit. l. 1. juncta Glossa verb. *Datum*, et est in re communis. (2. Depositum ut sic dividitur in Judiciale et privatum. Depositum Judiciale est, quando res in judicio controversa apud aliquem tertium deponitur, seu ipsi committitur custodienda, ut lite finita victori restituatur. (3. Depositum Judiciale alio nomine dicitur *sequestrum* seu *sequestratio*; quæ sequestratio potest esse vel voluntaria, vel necessaria. (4. Sequestratio voluntaria est illa, quæ fit mutuo partium consensu; ut cum partes de aliqua re litigantes, ratione scandali vitandi, vel alia de causa, voluntario, et mutuo consensu rem illam deponunt apud tertium, ut eam interim custodiat, et postmodum tradat vincenti. (5. Sequestratio necessaria e contra est illa, quæ fit auctoritate, et mandato Judicis, et dicitur necessaria, quia fit sine communi partium consensu, ac plerumque altera parte invita, simulque quia necesse habent partes litigantes tali sequestro stare, eidemque obtemperare. (6. Aliud genus depositi Judicialis assignatur, et contingit tunc, quando debitor offert creditori debitam pecuniam, et creditor eam recusat accipere; tunc enim debitor ad usuras, vel alias molestias evitandas, potest eam consignare, seu deponere apud Judicem, textu expresso in l. *Acceptam*, C. de *Usuris*, ubi subjungitur, quod hoc modo debitor, et a solutione legitimarum usurarum (seu *interesse*,) et a periculo casus fortuiti liberetur, et jus pignorum tollatur. (7. Depositum privatum est, quod fit privata partium

Monasterii. — 52. Sic etiam Ecclesia, vel Monasterium obligaretur ad instar aliorum Depositariorum, quando Prælatum una cum Capitulo, seu Conventu depositum in suam fidem, vel custodiam recepisset. — 53. Depositarius, si in periculo naufragii, hostilis incursus, vel incendii nequit res suas, et alienas servare, potest res suas pretiosiores salvare præ alienis minus pretiosis. — 54. In tali casu Depositarius salvando res proprias pretiosiores, et deferendo alienas penes se depositas, nihil tenetur restituere. — 55. Si res depositæ sint pretiosiores rebus propriis Depositarii, et utrasque salvare non possit, tenetur Depositarius eas præferre rebus suis vilioribus, illasque salvare, postpositis propriis minoris pretii. — 56. Depositarius, qui aliena pretiosiora propriis minus pretiosis præferendo passus est jacuram, potest compensationem damni exigere. — 57. Immo si Depositarius non sit moraliter certus se posse recuperare a domino rei alterius pretium, seu compensationem damni passi in præferendo rem alteram pretiosiorum suarum viliori, ad id non teneretur. — 58. Si res propria, et aliena sint æqualis valoris, et nequeat Depositarius utrasque salvare, tunc potest Depositarius salvare proprias, dimissis alienis. — 59. 45. De Deposito *Miserabili*. — 46. 51. De Deposito *Irregulari*. — 52. 57. De Deposito *Regulari*.

auctoritate, ut quando apud privatum aliquem, de cujus fide, et diligenti cura deponens confidit, res aliqua deponitur, ut eam rite custodiat.

(8. Depositarius non potest uti re deposita absque consensu expresso, vel tacito ejus, qui deposuit, alioquin furtum committere censetur, textu expresso in l. *Si sacculum*, ff. *Depositum*, ibi: « Si sacculum, vel argentum signatum deposuero, et is penes quem depositum fuit, me invito contrectaverit, et depositi, et furti actio mihi in eum competet. » Sic etiam statuitur, § *Furtum autem*, Instit. de *obligat. quæ ex delicto nasc.* ibi: « Sive creditor pignore, sive is, apud quem res deposita est, ea re utatur, furtum committit. » (9. Notanter autem dicitur, *sine consensu expresso, vel tacito ejus, qui rem deposuit*, ut intelligatur, quod si depositarius bona fide existimet Domino id non displicere, si utatur re deposita, tunc non peccabit utendo, nec furti actione tenebitur; et hoc multo magis, si Dominus expressam licentiam utendi concesserit; cit. l. *Si sacculum*, § *si permissio meo*, ff. *Depositum*.

(10. Depositarius debet depositum custodire, atque servare ea fide, cura, et diligentia, qua solet custodire, et servare res proprias: textu expresso in leg. *Quod Nerva*, ff. *Depositum*, ibi: « Nisi tamen ad suum modum curam in deposito præstet, fraude non caret; nec enim salva fide minorem iis (*depositis*) quam suis rebus diligentiam præstabit. » (11. Depositarius tenetur rem depositam restituere talem, qualem accepit, id est non fractam, non comminutam, nec aliquo modo sua impatabili culpa deterioratam, alioquin non videtur res reddita, et potest contra eum agi actione depositi; textu expresso in l. 1. § *An in pupillum*, ff. *Depositum*, ibi: « Si res deposita deterior reddatur, quas non reddatur, agi actione depositi potest; cum enim deterior redditur,

potest dici dolo malo redditam non esse.»

(12. Hinc depositarius tenetur de dolo, et culpa lata; l. 1. junct. Glossa, vers. *Culpam*, C. *depositi*, ubi dicitur: «Qui depositum accepit, dolum suum, et latam culpam præstare debuit.» concordat textus in l. 1. § *In conducto*, et § *ultim. ff. Depositi*, et cap. *Bona fides* 2. de deposito, ubi expresse dicitur, «Bona fides abesse præsumitur, si rebus tuis salvis existentibus depositas amisisti.» ubi autem bona fides abesse præsumitur, ibi præsumitur dolus adesse, nam contraria sunt, ut expresse dicit Glossa ibidem verb. *Rebus tuis*. Et est communis. (13. Depositarius adeo tenetur de dolo, ut non valeat pactum de dolo non præstando, talis enim conventio est contra bonam fidem bonosque mores; tribuens peccandi licentiam, l. 1. § *Illud non est*, ff. *Depositi*, et consimilis pactio de dolo non præstando improbat generaliter in omnibus contractibus; leg. *Contractus*, ff. *de Reg. Jur.* et l. *Si unus*, § *Illud*, ff. *de Pactis*, ibi: «Illud nulla pactione effici potest, ne dolus malus præstetur.» (14. Hoc tamen intelligi debet solum de remissione doli futuri; non vero de remissione doli præteriti, ut observat Glossa communiter recepta in cit. § *Illud*. Et ratio disparitatis est, quia per remissionem doli futuri animaretur quis ad male agendum, seu dolum committendum; secus vero per remissionem doli præteriti, ut de se patet; unde solæ pactiones de non præstando dolo futuro, utpote in animæ detrimentum vergentes, improbantur, et non sustinentur; arg. cap. *Pactiones factæ* 8 de Pactis, ibi: «Quod etiam de aliis (pactionibus) est dicendum, quæ observatæ vergent in animæ detrimentum. Nam juxta legitimas sanctiones, pactum turpe, vel rei turpis, aut impossibile de jure, vel de facto nullam obligationem inducit.»

(15. Depositarius non tenetur de culpa levi, et levissima. Est communis; arg. cit. l. 1. C. *Depositii*, ubi expresse dicitur Depositarius teneri solum de culpa lata, et dolo, ibi: «Qui depositum accepit, dolum solum, et culpam latam præstare debuit.» Et ratio est, quia in contractibus, qui celebrantur gratia dantis tantum, præstatur solum dolus, et culpa lata, non vero culpa levis, et levissima; depositum autem regulariter fit tantum gratia deponentis, l. *Si ut certo*, § *Nunc videndum*, ff. *Commodati*, adeoque, etc. (16. Excipiuntur tamen plures casus, in quibus tenetur Depositarius etiam de culpa levi. Sic Glossa communiter recepta in cap. *Bona fides*, de deposito, verb. *de Culpa*, ubi plures tales casus enumerat. Primo igitur tenetur Depositarius etiam de culpa levi, quando expresse convenit, ut in deposito etiam culpa

(1) Quinto tenetur Depositarius de culpa levi, et levissima quando Depositum respicit solius depositarii utilitatem, eique concessus est rei depositæ usus, ut novissime definiit Rot. in Romana concursus de Hameranis super emendatione, et refectione damnorum, 2 Decembris 1782, § 4, cor. de Bayane et in ejusdem confirmatoria, 6 Junii 1783, § fin. in fin. cor. eod. Ut itaque recte dijudicari possit, ad quid teneatur Depositarius, expendenda est natura depositi. Si depositum factum comperitur in gratiam

levis præstetur, textu expresso in l. *Depositum* 1, § 6. ff. *Depositii*, vel *contra*, ibi: «Si convenit, ut in deposito, et culpa præstetur, rata est contractus conventio, contractus enim legem ex conventionem recipiunt.» et iterum ibidem in § 35. ibi: «*Sæpe evenit* ut res deposita, vel nummi periculo sint ejus, apud quem deponuntur, ut puta si hoc nominatim convenit.» et consimiliter habetur in leg. *Juris gentium* 7, § 15. ff. *de Pactis*, lib. 2. tit. 14. ibi: «Si quis pactus sit, ut causa depositi omne periculum præstet, Pomponius ait pactionem valere, nec quasi contra juris formam non esse servandam.» et ibidem habetur in Regul. 85. Juris in 6. ibi: «Contractus ex conventionem legem accipere dignoscuntur.» (17. Secundo, Depositarius tenetur etiam de culpa levi, si se ipsum ad recipiendum depositum obtulit, et postmodum res deposita culpa sua licet levi perit; citat. l. *Depositum* 1, § 35. ff. *Depositii*; et cap. *Bona fides* 2. de Deposito, ubi sic expresse statuitur: «De culpa quoque teneris, si te ipsum deposito obtulisti.» Et ratio est, quia depositarius se ipsum offerens ad recipiendum depositum, hoc ipso ad diligentioram custodiam sese obligare censetur. (18. Tertio depositarius tenetur etiam de culpa levi, si mercedem pro custodia recipit: cit. l. *Depositum* 1, § *Si vestimenta*, et § *Si quis servum*, ff. *Depositii*, et cit. cap. *Bona fides* 2. de Deposito, ubi expresse dicitur, «De culpa quoque teneris . . . si aliquid pro custodia recepisses.» Et ratio est, quia tunc datur actio ex conducto adversus Depositarium, ex quo custodiam rei in se recipit interveniente mercede pro tali custodia, et sic cum talis contractus sit factus gratia utriusque, scilicet Depositoris, et Depositarii, debet præstari nedum culpa lata, sed etiam levis; non vero culpa levissima, argument. citat. lib. *Sit certo*, § *Interdum*, ff. *Commodati*. Et est communis. (19. Quarto tenetur Depositarius etiam de culpa levi, quando requisitus, ut depositum redderet, est in mora reddendi; l. *Si in Asia* 12, § 3. ff. *Depositii*, vel *contra*, ibi: «Depositum quoque eo die, quo depositi actum sit, periculo ejus, apud quem Depositum fuerit, est si iudicii accipiendi tempore potuit id reddere reus, nec reddidit;» l. *Quod te* 5. ff. *De rebus creditis*, lib. 12, tit. 1. ibi: «Quod te mihi dare oportuerat, si id postea perierit, quam per te factum erit, quo minus id mihi dares, tuum fore id detrimentum constat.» Immo ratione moræ in reddendo imputatur etiam casus fortuitus, textu expresso in cit. cap. *Bona fides* 2. de Deposito (1).

(20. Depositarius non obligatur ad præ-

deponentis, tunc Depositarius tenetur de dolo tantum, et lata culpa. Si Depositum Depositarii utilitatem respicit, tunc de dolo, lata, levi, et levissima culpa tenetur. Quod si in utriusque commodum constitutum sit depositum tunc dolus, lata et levis tantum culpa venit non levissima. Bald. in l. *si ut certo* ff. *Commodati*. In contractibus qui celebrantur gratia dantis venit dolus, et lata culpa; in contractibus vero, qui celebrantur gratia recipientis tantum, venit do-

standum casum fortuitum, exceptis tribus casibus, si videlicet pactum culpa (crassa) vel mora culpabilis præcessit casum fortuitum textu expresso in cit. c. *Bona fides* 2. de Deposito, ibi: «Pacto vero, culpa, vel mora præcedentibus, casus etiam fortuitus imputatur.» Quod casus fortuiti non imputentur, habetur expresse in l. *Contractus* 23. ff. *De diversis Regul. Juris antiq.* lib. 50. tit. 17. ibi: «Casus . . . quæque sine culpa accidunt . . . a nullo præstantur.» et etiam in cap. *Cum gratia sui* 1. de *Commodato*. Quod autem ad casus etiam fortuitos obligetur Depositarius ratione pacti habetur etiam in l. *Depositum* 1, § 6. ff. *Depositii*, et in l. *Juris gentium* 7, § 15. ff. *de Pactis* lib. 2. tit. 14. et in Regul. 85. Juris in 6. Quod teneatur ratione culpæ præcedentis ad casum fortuitum, habetur etiam in cit. l. 1, § *Si rem*, ff. eodem, qui enim dat causam damni, damnum dedisse videtur. Quod teneatur ratione moræ culpabilis habetur, etiam in l. *Si Asia* 12, § 3. ff. *Depositii*, et in l. *Quod te* 5. ff. *de Rebus creditis*, lib. 2. tit. 1. saltem si res alioquin non fuisset peritura apud dominum, si suo tempore restituta fuisset; Glossa ibid. verb. *Periculum* juxta Gloss. marg. litt. B. nam mora cuilibet est nociva Regula 25. Juris in 6. et expresse habetur in l. *Item* 11, § fin. ff. *de Re vindic.* lib. 6. tit. 1. ibi: «Sed est verius, si forte distracturus erat petitor, si accepisset, moram passo debere præstari, nam si ei restituisset, distractisset, et pretium esset lucratus.»

(21. Depositor potest statim quodcumque voluerit depositum revocare, et Depositarius debet statim rem depositam restituere, alioquin Depositor potest depositi actione agere, textu expresso in leg. *Depositum* 1, § 22. ff. *Depositii*, vel *contra*, ibi: «Est autem apud Julianum lib. 13. Digestorum scriptum, eum, qui rem deposuit, statim posse depositi actione agere. Hoc enim ipso dolo facere, cum qui suscepit, quod repositi rem non reddat;» et in l. *Si quis* 11. C. *Depositii*, vel *contra*, ibi: «Si quis vel pecunias, vel res quasdam per depositionem acceperit titulum, eas volenti qui deposuit, reddere illico modis omnibus compellatur;» et in cap. *Bona fides* 2. de Deposito, ibi: «Sane depositori licuit pro voluntate sua depositum revocare.»

(22. Immo Depositor potest restitutionem depositi sui reoscere, etiam antequam sit elapsum tempus, pro quo res deposita fuit; cum enim Depositoris gratia contrahatur, non prohibendus est pro arbitrio revocare contractum, et mutare voluntatem; cit leg. 1, § *Si hic*, et § *Proinde*, ff. *Depositii*; et Glossa ibid. verb. *Mutare* ad § pen. ibi: «Deponens pecuniam reddendam post tempus,

lus lata culpa, levis et levissima: in contractibus vero qui celebrantur gratia utriusque, venit dolus, lata culpa, et levis.» Quam distinctionem communiter sequuntur, Sabell. in Sum. lit. D. § 17, n. 17. Constantin. vot. Dec. 102, n. 7. Voet. in Pandect. lib. 46. tit. 5, num. 7. Bruneman. in Cod. l. 4, tit. 34, leg. 1, num. 1, et seq. Duaren. in tit. *Depositii*, vel *contr.*, cap. 5, § *Possunt enim* in fin. tom. 5, p. 506, coll. 2. Quando vero depositum fit in gratiam deponentis tunc regulare dicitur depositum; quando e con-

non est obligatus Depositario non repetere ante tempus; et ideo potest mutare voluntatem, et ante tempus repetere.»

(23. Dantur autem plures casus, in quibus Depositarius rem depositam Depositori repetenti statim reddere non tenetur, sed restitutionem differre potest, vel etiam debet. Et primo quidem, res deposita non est statim restituenda Depositori illam repetenti, quando aliquid de novo emergit restitutionem impediens; cit. l. *Depositum* 1, § *Est autem*, ff. *Depositii*, ibi: «Marcellus autem ait non semper videri posse dolo facere eum qui repositi non reddat. Quid enim, si in Provincia res sit, vel in horreis, quorum aperiendorum condemnationis tempore non sit facultas, vel conditio depositionis non extitit.» (24. Secundo si ex restitutione certe, vel probabiliter timetur secuturum damnum spirituale, vel temporale ipsi Depositori, vel alicui alteri, ut si furiosus repetat gladium a Depositario, nam manifestum est, tunc non esse reddendum; cap. *Ne quis arbitretur* 14. caus. 22. quæst. 2. (25. Tertio quando bona Depositoris ob aliquod crimen sunt confiscata, tunc enim non ipsi Depositori, sed Fisco tradenda sunt; l. *Bona fides* 31. in princip. *Depositii*. Depositor enim in tali casu amisit jus repetendi suum Depositum. (26. Quarto, quando dominus, et fur, qui rem furto ablatam apud aliquem deposuit, concurrunt in illa repetenda, tunc enim res illa non furi, qui eam deposuit, sed vero domino est restituenda; cit. l. *Bona fides* 31, § *Incurrit hic*. (27. Si tamen domino non comparente solus fur rem furtivam depositam repetat, tunc est ipsi reddenda; l. 1. ff. *Si prædo*, ff. *Depositii*, et cit. l. *Bona fides* 31, § *Incurrit*, vers. *Quod si ergo*. Pirhing lib. 3, de cr. tit. 15, n. 7. Reiffenstuel ibid. n. 23. (28. Quinto, quando fur rem furatam deposuit apud Dominum ejus ignorantem pro tunc rem esse suam quam postea suam esse cognoscens non tenetur eam furi repetenti restituere, sed retinere potest: Immo, et si a Domino ignorante tradita sit furi, quasi ex causa depositi, potest ab illo per conditionem indebiti repeti; cit. l. *Bona fides*, § *Si tamen*, et seq. ff. *Depositii* Pirhing. loc. cit. n. 7. Reiffenstuel. l. c. n. 24. Silvester verb. *Depositum* qu. 10. et alii.

(29. Depositarius non potest retinere rem depositam pro compensatione alicujus sui crediti erga Depositorem; textu expresso in l. *Si quis* 11. C. *Depositii*, vel *contra* lib. iv, tit. 34. ibi: «Si quis vel pecunias, vel res quasdam per depositionem acceperit titulum, eas volenti reddere illico modis omnibus compellatur, nullamque compensationem, vel deductionem, vel doli exceptionem opponat, quasi et

tra fit in gratiam depositarii tantum, irregulare appellatur, et hoc casu depositarius tenetur de quacumque culpa et de casu demum fortuito, eo quia res deposita in depositarii transeat Dominium, ut post longam Allegationum seriem tenet, et exornat Rot. cor. Falconer. tit. *de solut. et liberat. decis.* 9. a num. 6 ad num. 9. «Ellicitur depositarius irregularis, et omne periculum in se assumit, atque tenetur de quocumque casu fortuito, inopinato, propter dominium in ipsum translatum.» (EDIT. BARBIEL.)

ipse quasdam contra eum qui deposuit, actiones personales, vel in rem, vel hypothecariam prætendens, cum non sub hoc modo depositum acceperit, ut non concessa ei retentio generetur, et contractus, qui a bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur, » et cap. *Bona fides 2. de Deposito*, ibi : « Sane Depositari licuit pro voluntate sua depositum revocare, contra quod compensationi vel deductioni locus non fuit, ut contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam minime referatur, licet compensatio admittatur in aliis, si causa, ex qua postulatur, sit liquida, ita quod facilem exitum credatur habere, » et concordat lib. 14. C. *de compensatione*, lib. 4. tit. 31. ubi Justinianus Imperator probatis justis compensationibus eam expresse excipit, quæ fieri posset occasione depositi, ibi : « Excepta actione depositi secundum nostram sanctionem, in qua nec compensationis locus esse disposuimus. » Et ratio patet ex ipsis textibus, quia Depositor rem suam committit fidei Depositarii, ut illam sibi fideliter, et diligenter custodiat, donec revocetur, et Depositarius se obligat ad talem rei custodiam, adeoque, contra datam fidem agi si talem rem penes se depositam non restituat (1).

(30. Ex deposito facto penes Clericum, v. g. Canonicum, aut Religiosum, seu Rectorem Ecclesiæ, vel Monasterii, et dolo seu culpa lata ipsius Depositarii perditum, non potest obligari Ecclesia, vel Monasterium ad resarciendum damnum, nisi res illa deposita fuerit conversa in utilitatem ipsius Ecclesiæ vel Monasterii; textu expresso in cap. *Gravis 1. de Deposito*, ibi : « Gravis illa querimonia usque ad nos super deposito tuo tibi hactenus denegato pervenit; et infra : Dum enim non constat pecuniam tuam, quam ille vir Belial furatus est, in Ecclesiæ utilitatem conversam, non debemus de jure contra Canonicos ejusdem Ecclesiæ præcise intentare jussionem instantiam, ut tibi eandem reddant pecuniam, personæ, non Ecclesiæ commendantam. » Et est communis Doctorum sententia hac ratione ex Regul. 76. Juris in 6. desumpta, quod « delictum personæ non debet in detrimentum Ecclesiæ redundare. » (31. Notanter autem additum fuit : « Nisi res illa deposita fuerit conversa in utilitatem ipsius Ecclesiæ, vel Monasterii, » quia in tali casu Ecclesia, vel Monasterium teneretur reddere id, quod dolo, vel culpa Depositarii ad ipsam pervenit ex deposito, quia nemo debet locupletari cum alterius jactura; l. *Nam hoc 14 ff. de cond. et indeb.* ibi : « Hoc natura æquum est, neminem cum alterius detrimento fieri locupletariorem. » Et Reg. 48. juris in 6. ibi : « Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura. » (32. Sic etiam Ecclesia, vel Monasterium obligaretur ad insulariorum Depositariorum, quando Prælati

(1) Hanc sequitur opinionem post textus allegatos Voet in Pandect. lib. 16. tit. 3. n. 9. At quamvis jure compensationis ob impensas in rem depositam factas nequeat depositarius rem depositam penes se retinere, ei tamen contraria depositi actio concedi-

una cum Capitulo, seu Conventu, depositum in suam fidem, et custodiam recepisset. Colligitur ex cit. cap. *Gravis 1. de Deposito*, et docet Glossa communiter recepta ibid. verb. *Personæ* in fine. Prælati enim, et Capitulum repræsentant Ecclesiam; arg. cap. *Scire 7. quæst 1. et cap. Requisivisti 15. de Testament.*

(33. Depositarius si in periculo naufragii, hostilis incursus, vel incendii, nequit res suas, et alienas salvare, potest res suas pretiosiores salvare, præ alienis minus pretiosis. Est comm. cum Gloss. in l. *Si ut certo, v. Salvas facere, ff. Commodati*; Pirhing. lib. 3. Decr. tit. 16. n. 16. Reiff. ib. n. 40. Abbas ib. cap. 2. n. 2. Engel ibid. n. 9. Laiman lib. 3. Theol. moral. tract. 4. cap. 7. num. 7. Azor. part. 3. lib. 7 de Commodato c. 7. quæst 6. Less. lib. 2. de Just. et jur. cap. 27. n. 23. Et ratio est, quia nemo tenetur pati majus damnum proprium ad evitandum minus alterius, tenetur enim quisque prius sibi prospicere, deinde proximo; (34. Et in tali casu Depositarius salvando res proprias pretiosiores, et deferendo alienas penes se depositas, nihil tenetur restituere, quia censentur absque sua culpa, et casu fortuito interiisse; l. *Si ut certo, § Quod vero, ff. Commodati*, ubi Glossa citat. verb. *Salvas facere, et l. In rebus, § 1. ff. Commodati*; Engel. loc. cit. Reiffenstuel loc. cit. n. 41. Laym. loc. cit. num. 7. Azor. loc. citat. cap. 7 quæst. 6. cum aliis passim.

(35. Si res depositæ sint pretiosiores rebus propriis Depositarii, et utrasque salvare non possit, tenetur Depositarius eas præferre rebus suis vilioribus, illasque salvare postpositis propriis minoris pretii. Sic Abbas, Pirhing, Reiffenstuel, Less. Laym. loc. cit. arg. l. *Quoad Nerva, ff. de Deposito*, l. *Si ut certo, § Quod vero senectute, ff. de Commodato*, cap. *Bona fides 2. de Deposito*. Et ratio est, quia Depositarius ex prudentia, et æquitate naturali tenetur adhibere circa res penes se depositas saltem eam diligentiam, quam quisque prudens circa res proprias adhibere solet; certum est autem, quod quisque res suas pretiosiores præ vilioribus suis periculo eriperet, adeoque etiam debet res alienas pretiosiores præferre suis minus pretiosis. (36. Depositarius, qui aliena pretiosiora propriis minus pretiosis præferendo passus est jacturam, potest compensationem damni exigere, quia nemo tenetur cum suo damno conservare rem alterius, licet pretiosorem, quando contractus non est initus in gratiam recipientis, sed potius in gratiam dantis tantum, ut fit in deposito. Quamvis enim Depositarius ex dictis teneatur res alienas pretiosiores præferre rebus suis vilioribus, illasque salvare, postpositis propriis minoris pretii, potest tamen id facere animo exigendi compensationem jacturæ,

ut easdem expensas consequi valeat. Voet. loc. c. n. 10. Duaren. in tit. *Depositii vel contra* cap. 5. et 6. tom. 3. pag. 511. collect. 2. De his vide infra in fin. (EDIT. BARBIELL.)

quam ideo passus est in propriis; l. *Actione Depositii, ff. hoc tit.* Lessius lib. 2. de Just. et jur. cap. 27. num. 28. Molina tract. 2. disp. 296. num. 4. Pirhing. loc. cit. num. 18. Reiffenstuel loc. cit. num. 44. Engel. loc. cit. num. 9. et alii. (37. Immo Depositarius non sit moraliter certus se posse recuperare a Domino rei alterius pretium, seu compensationem damni seu jacturæ passæ in præferendo rem alienam, pretiosorem suæ viliori, ad id non teneretur, quia nemo in his contractibus intendit se obligare ad expensas faciendas pro re aliena cum notabili, et gravi suo detrimento, vel probabili periculo ejus, ut recte docent Pirhing. l. cit. n. 16. et Tambur. in Decal. part. 2. lib. 8. tract. 3. cap. 5. § 7. n. 4. (38. Si res propriæ, et alienæ, sint æqualis valoris, ff. Nequeat Depositarius utrasque salvare, tunc potest Depositarius salvare proprias, dimissis alienis. Sic communis cum Glossa in l. *Si ut certo*; verb. *Salvas facere, ff. Commodati*; Less. loc. cit. n. 29. Molina loc. cit. num. 7. Pirhing. loc. cit. n. 17. Reiffenstuel loc. cit. num. 42. Et ratio est, quia quisque magis seipsum diligere debet quam proximum, adeoque Depositarius potest potius res suas, quam alienas salvare, cum utraque sunt æqualis valoris, eo vel maxime, quod depositum sit in gratiam solius Deponentis.

#### ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(39. Nec de Deposito *miserabili*, nec de Deposito *irregulari* agit hic Auctor. De utroque tamen breviter est disserendum.

(40. Deposito *miserabile* in jure dicitur quando aliquid naufragii, tumultus, vel incendii occasione depositum est, ita ut unica deponendi causa fuerit imminens periculum l. 1. § 3. ff. *Deposit.* (41. Sed depositum hoc miserabile, ut recte monet Stryk in usu modern. Pandect. lib. 17. tit. 3. § 1. non tantum in mox dictis casibus a jure expressis locum habet, sed et ad similes extendendum, puta si fiat depositum ob incursum hostium, ob aquarum inundationes, vel si peregrinus in gravi morbo constitutus teneatur eligere fidem Hospitis. (42. Confer etiam Cels. Bargal. de Dol. lib. 5. cap. 14. num. 38. Zuhn. de Mendac. lib. 2. cap. n. 2.

(43. Illud vero singulare in hoc Deposito occurrit, quod ex eo aliquando ob dolum agi possint in duplum, quum Depositarius dolose depositum negat, in hæredem tamen tantum in simplum ex dolo defuncti, nisi dolo proprius concurrat, ubi itidem tenetur in duplum l. 1. § 1. et leg. 18. ff. *Deposit.*

(44. Moribus vero hanc dupli pœnam exolevisse tenet cum aliis Gronovvegg. de leg. Abrogat. ad leg. 1. § 1. ff. hoc tit. Sed ei locum etiam esse debere sentit Stryk in usu modern. Pandect. lib. 17. tit. 3.

(1) Moderato antiquarum legum rigore, non modo pro impensis in rem depositam factis, sed insuper pro omnibus debitis cum eadem re connexis jus hoc depositario retentionem rei concedit, ut præter allegatos tenet Berger. *Oeconom. jur.* lib. 5.

§ 1. (45. et ignorantia, imprudentiaque Judicium adscribendum esse, quod hæc pœna communiter dictari non solet.

(46. Deposito irregulare est, quando rei fungibilis Depositæ usus Depositario concessus est, hac lege, ut sufficiat tantumdem restituere; leg. 1. § 34. leg. 24. leg. 26. ff. *Deposit.* Concedi autem potest usus rei Depositæ, vel tacite, vel expresse. (47. Tacite si pecunia deposita non fuerit obsignata, sed potius Depositario adnumerata, leg. 26. § 2. leg. 29. in princip. ff. *Depos.* (48. nisi tamen tales nummi traditi sint in quos propter eorum antiquitatem similemve causam cadere queat affectio; Bruneman. ad leg. 24. n. 3. ff. *Deposit.* (49. Expresse, si ab initio, vel ex post facto usus pecuniæ, si Depositario placuerit, conceditur, ubi antequam utatur, manet depositum; leg. § 24. ff. *Deposit.* leg. 10. ff. *de Reb. Credit.* (50. Sed si Depositarius hoc urget, statim fit mutuum. leg. 9. ff. *de Reb. Credit.* (51. In effectu interest, quod depositum sit in concursu privilegiatum, compensabile, periculum non connexum habeat secus ac in mutuo; Confer, si plura cupias de hoc Deposito irregulari Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 17. tit. 3. § 1. et præsertim Mascovium de Deposito irregulari.

(52. Nunc veniamus ad depositum regulare. Verum est, quod ait Auctor num. 12, quod pactum, ut ne de dolo agatur, haud valet in Deposito. At valet pactum, ut ne Depositum unquam agatur leg. 27. § 3. ff. *de Pact.*; (53. quum tamen vi ipsa id pactum sit, nede dolo agatur : existimat Jacobus Gothofredus in leg. 193. ff. *de Regulis juris*, id inde promanare, quod expressa nocent, non expressa non nocent. Sed an recte aliorum judicium esto.

(54. Leges Romanæ infamia notant eum, qui depositum dolose restituere recusavit, et ob dolum condemnatus est. An autem moribus ob dolum condemnatus adhuc infamis sit, quæstio est inter Doctores. (55. Negat Schilter. exerc. 28, § 50. Affirmat vero Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 17. tit. 3, § 7.

(56. Gravior quæstio est, an exceptio retentionis ob impensas opponi queat Deposito. Negativam sententiam tenet Hann. ad Wesembec tit. *Deposit.* num. 5, motus lege 11. C. *Depositii.* (57. At communior est opinio affirmativa, modo impensæ fuerint necessariae; quum repetens merito in dolo sit, quod expensas hæc in ipsam rem depositam factas refundere nolit, quo ipso tamen beneficium huic tributum est, quod rem meliorem recipiat; Bruneman. ad dict. leg. 11. num. 6. Mantic. de Ambig. Convent. lib. 10, tit. 10, n. 5, et cum aliis Stryk. in usu modern. Pandect. lib. 18, tit. 3, § 9 (1).

tit. 2. Struv. Syntag. jur. civil. exercit. 21. qui insuper addit, depositarium expensarum refectionem amplius consequi non posse, si non opposita retentione, et expensis deductis, rem integram restituat. (EDIT. BARBIELL.)